

omnes ex umbraculis vitæ Monasticæ ad Episcopalem thronum sublimati, nihil de pristinis moribus, victu, & vestitu mutarunt. Otio perpetuum bellum indicabant Monachi, seque quotidie labore manuum exercebant. Qui vero præ corporis infirmitate operosis manuum laboribus incumbere haud poterant, iis pro Regulæ indulgentia Codices exscribere, & prolixioribus studiis aliorum operas compensare licebat. Quem laborem, ut optime observat *Cl. Mabillonius* præfatione in sæculum 1. Benedictinum, strenue susceperunt postea Monachi Benedictini, eumque posteris suis quasi testamento reliquerunt. Adeo ut quidquid apud antiquos eruditum, ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium, & sapientiæ plenum, quidquid in Conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est, totum id per Monachorum Benedictinorum manus ad hæc usque tempora pervenerit.

D. Antequam huic Colloquio finem imponamus; cedo, si placet, præcipua Doctrinæ Moralis documenta, & præcepta, quæ Sancti Patres ad probe informandos Christianorum quinti Ecclesiæ sæculi mores præscripserunt.

M. Patres quinti Ecclesiæ sæculi de emendandis moribus, & de restituenda Disciplinæ Ecclesiasticæ integritate semper solliciti, non solum omnem adhibuerunt operam, ut sacri Canones ad tollendas morum corruptelas conditi adamussim servarentur, sed etiam ad omnia veræ virtutis & germanæ pietatis officia fideles, qua verbo, qua scriptis efficaciter sunt adhortati. Infinitus essem, si hic percensere vellem omnes morum regulas, & saluberrima bene vivendi præcepta, quæ Sancti Patres in libris suis moralibus, & in Homiliis, quas ad populum habuerunt, passim proponunt, inculcant, infarciunt. Breviter dicam, illos ad sacram legis severitatem compositos, omnes ingenii, & eloquentiæ suæ intendisse nervos, ut Christianos a vitiis retraherent, ad exercitium virtutum provocarent, sed potissimum ad amorem Dei, quo Christiani discernuntur a Judæis, qui servili temporalis pænæ timore, qui manum, non animum cohibet, a vitiis abstinere: *brevissima, & aperissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet:* ait S. Augustinus cap. 17. libri contra Adimantum Manichæum. Et certe, sicut sæpius ingerit Sanctus ille Doctor, lex Evangelica est lex amoris, & quantum Christianus proficit in amore Dei, tantum in eo decrevit amor mundi, & imminuitur regnum cupiditatis, quæ est radix omnium malorum. *Sub lege est, inquit S. August. lib. de Natura & Gratia cap. 57. qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeret, ut occulte fiat, quod occulte desiderat.* Nihil ergo, juxta doctrinam Patrum quinti Ecclesiæ sæculi, amare, nihil mirari, nihil expetere debet Christianus, nisi Deum, aut propter Deum. Nihil odio habere, nihil horrere, nihil fugere

debet, præter unam turpitudinem, aut propter turpitudinem. Ita fit, ut hac cælesti doctrina imbutus Christianus, quidquid agit, sive dormiat, sive vigilet, sive edat aut bibat, ipsi denique lusus & otia ei cedant in eumulum præmii. Jam vero qua cura & sollicitudine vias ad salutem tutiores & quarere, & sequi debeant Christiani, docet S. Chrysostomus Homilia 44. in Matthæum, his verbis: *Si vestimentum empiurus unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas. An non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi sincere vestitus Christi vendatur, & ubi corrupte, & veritorem eligere plusquam vestimentum?* Hinc etiam a Doctoribus instar effati, celebratur istud S. Augustini consilium ex ejus verbis concinnatum: *in his, quæ salutis sunt, tenes certum, dimitte incertum.* Denique, Patres quinti sæculi iustorum animis sanctum timorem, non salutis securitatem ingenerabant, peccatoribus diuturnam & laboriosam penitentiam imponebant, nec eos, in quibus nulla mutata in melius vitæ vestigia comparebant, præpropera absolute donabant. Penitentiam, quæ differtur usque ad mortem, incertam, suspectam & moribundam appellarunt, eamque dumtaxat sinceram esse penitentiam, docuerunt, quæ fit in hac vita, nascitur ex amore Dei, & odio peccati, ut loquitur S. Augustinus. Ignorarunt Sancti illi Patres, arcta via, quæ ducit ad Cælum, gradientes, subtilem & mirabilem illam artem ancipitis significationis verba proferendi & restrictiones mentales faciendi absque mendacio, homines palam in duello, vel clam occidendi absque salutis dispendio, usuras, & simonias palliandi, sine vel minimo divitiarum & Ecclesiasticæ legis detrimento. Ignorarunt ista lenimenta sacramenti Penitentiarum a nuperis Casuistis reperta circa confessionem, satisfactionem, absolutionem, proximas peccandi occasiones, contritionem, & amorem divinum. Uno verbo, ignorarunt mille distinctiones, quas moderni Probabilistæ latam portam aperientes, quæ ducit ad perditionem, excogitarunt ad excusandas excusationes in peccatis, ad emolliendam legem Dei, ad laxandam Disciplinam Ecclesiæ, ad invahenda horrenda opinionum, portenta, a quibus profecto abhorruissent Pagani non omnino flagitiosi, quæque a Summis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. tota plaudente Catholica Ecclesia, fuerunt vaticanis fulminibus prostrata. Hæc igitur, quæ in doctrina morum ignorarunt antiqui Ecclesiæ Patres, & nos quoque penitus ignorare debemus, eumque dumtaxat incorruptum de moribus tenere sensum, quem Sancti, Majores, ac Patres nostri uno, eodemque consensu aperte, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt. Sic integritatem Moralis Christianæ sartam rectam conservabimus, nec eam violari patiemur ab illis, qui nolunt, sientes justitiam de purulente bibere, sed adducunt ad suas cisternas contritas, luto & sordibus conspurcatis, quæ rudera habent, aquam non habent, ita ut, qui inde bibent, plus hauriat limi sordiumque, quam liquoris.



HISTORIA

ECCLESIASTICA

VI. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.



Bene habet. Jam quinque emensi sumus Ecclesiæ sæcula, & mox Historiam sexti sæculi aggredimur, quam solitæ nostræ inhærentes methodo, sex Colloquiis absolvemus. In primo exhibebimus statum Ecclesiæ sub Imperatoribus, & Principibus Christianis. In secundo referemus Controversias, Hæreses & tumultus, qui occasione trium Capitulorum in Ecclesia exorti sunt, eamque diu exagitarunt. In tertio agemus de Conciliis, & de rebus in illis gestis. In quarto texemus seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes in sexto Ecclesiæ sæculo tenuerunt. In quinto de Viris illustribus, qui in eodem sæculo floruerunt, & de eorum Operibus sermonem instituemus. In postremo, de Doctrina, Disciplina, & Morali sexti Ecclesiæ sæculi compendiose tractabimus.

COLLOQUIUM PRIMUM.

De statu Ecclesie in sexto seculo sub Imperatoribus,
& Regibus Christianis.

FUITNE tandem sexto ineunte seculo restituta Ecclesie tranquillitas, quam Hæretici Pelagiani, Nestoriani & Eutyriani toto durante quinto seculo perturbaverunt? M. Ecclesia in Oriente, sexto ineunte seculo, alta pace potita fuisset, nisi Imperator Anastasius, Acephalorum, seu Hæreticorum Severianorum, quorum dux erat Severus Monachus, malis artibus instigatus, multos excivisset tumultus, gravesque persecutiones, quibus Ecclesiam miserum in modum dilaniavit. Magno etenim Religionis Catholicæ damno, ut jam in præcedentibus Colloquiis observavimus, pessimo Imperatori Zenoni successit Anastasius anno ccccxci. qui in exordio Imperii sui nonnulla boni regiminis specimina edidit, abolendo videlicet antiquum tributum *Chrysargyrum*, quod ab omnibus, etiam infimæ sortis hominibus, meretricibus, exoletis & de animalibus etiam vilissimis exigebatur; venationes etiam, sive pugnas cum bestiis publicas prohibendo; Magistratus, qui antehac venales erant, gratis conferendo, & suæ fidei professionem Chirographo suo munitam cum approbatione Concilii Chalcedonenis Euphemio Patriarchæ Constantinopolitano exhibendo, ut a se omnem Eutyriani dogmatis suspicionem amoliretur. Verum, in his omnibus vim sibi fecit homo improbus. Optati si quidem Imperii compos factus, ac semel obfirmata dominatione avitæ fidei, & Concilii Chalcedonenis insensissimum hostem, populorumque oppressorem sese prædixit, *Henoticon* Zenonis decessoris sui districtè servandum iussit. In eos, qui Concilii Chalcedonenis defensores erant, carceribus, exiliis, omnium dignitatum abdicatione, bonorum spoliatione atrociter sævit. Legem emisit contra *Synoditus*, seu contra eos, qui Synodum Chalcedonensem tuebantur, & ea de causa *Euphemium* Constantinopolitanæ urbis Episcopum, & deinde *Macedonium* ejusdem urbis Antistitem Sede dejecit, & in exilium misit, eo solo nomine, quod Concilio Chalcedonenis constanter adhærent. Ducentos Monachos cum Severo Acephalorum duce & Theopaschita Eutyriano ex Oriente profectos, ut Synodum Chalcedonensem oppugnarent, Constantinopolim advenientes benigne & honorifice excepit Anastasius Imperator, ejusque gratia & patrocinio fretus impius ille *Severus* Sectæ Acephalorum antesignanus, Flaviano Antiocheno ob fidei constantiam e Sede dejecto,

se illius in locum per vim apertam intravit, & omnes Orientales ad Synodi Chalcedonenis damnationem pertrahere studuit, sibi que obstantes Antistites, quos inter fuit *Elias* Hierosolymorum Episcopus, exauctoravit. Quin eo usque sevitia prorupit male feriatu ille Hæreticus Antiochenæ Ecclesie invasor, ut, Judæorum & sceleratorum conductâ manu, trecentos & quinquaginta Monachos, quorum multi ad Altaria confugerant, non alia de causa, quam odii adversus Catholicam fidem concepti immaniter trucidavit, eorum cadavera avibus dilanianda projecit, multos in vincula conjecerit, plurimos, dilapidatis eorum facultatibus, ex ædibus & civitatibus expulerit, ut constat ex libello Monachorum & Clericorum Antiochiæ, & Syriæ lecto in Synodo Constantinopolitana sub *Menna* Patriarcha Constantinopolitano.

His malis, quæ in perniciem Catholicorum late & impune grassabantur, cumulum addidit *Anastasius* Imperator, quippe qui a Theopaschitis Eutyriani seductus, sacro Trifagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, istam clausulam adjici voluit: *qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Hujus clausulæ primus auctor fuit *Petrus Fullo* Episcopus Antiochenus, qui Eutyriana hæresi cum esset infectus, hanc clausulam sacro Trifagio eo sine addiderat, ut Passionem Deo Trino, ad quem superiora Trifagii verba spectabant, adscriberet. Huic malo *Calendario* post mortem utriusque Stephani in Sede Antiochena successor, duobus verbis remedium attulerat, errorique ansam præciderat, huic clausulæ nempe his verbis præmissis: *Christe Rex, qui crucifixus es pro nobis &c.* sed *Petrus Fullo* Sedi Antiochenæ postea restitutus, hæc verba: *Christe Rex*, sustulit, sicque pristinam Eutyriana labem redintegravit Antiochiæ anno cccclxxxv. Hoc itaque additamentum a Petro Fullone Eutyriano factum, Imperator Anastasius, una cum *Timotheo*, qui post depositum Macedonium Sedem Constantinopolitanam invaserat, in sacrum Trifagium inferre conatus est. Sed reclamantibus Catholicis, qui antiquam fidem violari non patiebantur; nihil consequi potuit, sed potius Constantinopolitani populi, bene in Catholicam fidem affecti, odium sibi confluxit, eumque ad rebellionem provocavit, in qua parum abfuit, quin ipse succumberet, debitaque suæ perfidiæ lueret pœnas.

D. Quorsum tendebat ista populi Constantinopolitani rebellio, & quinam ipsius exitus fuit?

M. Po-

M. Populus Constantinopolitanus ab Anastasio Imperatore propter fidei Catholicæ professionem oppressus in apertam rebellionem prorupit, Ducemque sibi constituit *Vitalianum* Scytham, Magistrum Militum, & egregium fidei Catholicæ defensorem, qui Cyrillum Thraciæ Præfectum interemit, Provincias Thraciæ, Scythiæ & Mysiæ cum arcibus occupavit, ipsamque urbem Constantinopolim obsidione cinxit. His in angustiis constitutus Anastasius, ut sibi consuleret, palam, sed simulate promissit, se Chalcedonenis Concilii, & Epistolæ S. Leonis fidem inviolatè servaturum, exules Catholicos Antistites postliminio revocaturum, litterasque ad Hormisdam Romanum Pontificem de redintegranda Orientalium Ecclesiarum cum Romana concordia, scripsit, atque sigillo munivit. Eo specioso resipiscentiæ prætextu, & fucatis promissis, rebellionem sedavit Anastasius, tumultuantem populum sibi conciliavit, & in ordinem redegit *Vitalianum*, quem in defendendo Concilio Chalcedonenis adversus Anastasium Imperatorem magnam gloriam consecutum esse, fatetur Baronius, qui tamen in hoc fallitur, quod putet, eum postea Monachis Scythis patrocinando illam gloriam obscurasse. Nam Monachi Scythæ, ut ostendimus in sequentibus Colloquiis, non solum Eutyriani non adhæserunt, sed etiam ejusdem Heresitis strenui oppugnatores extiterunt. Quo fit, ut *Vitalianus* suam gloriam non obscuraverit, dum illos Monachos suo patrocinio fovit.

D. Sedata hac rebellione, & dissipatis *Vitaliani* copiis, stetitne Anastasius Imperator promissis, quibus sese ad tenendam Catholicam fidem obstrinxerat?

M. Perfidus ille Imperator imitatus est Pharaonem Regem Ægypti, qui, ut sacra commemorat historia, ingruentibus malis divinitus immisissis, a vexandis Israëlitis tantisper desistit, sed illis cessantibus pœnis, ad pristinam rediit immanitatem. Sic Anastasius Imperator, ut mala sibi ex populi rebellionem impendentia declinaret, aureos montes pollicitus est, & initam cum Catholicis amicitiam ac reconciliationem mentitus est. At sublato periculo, & *Vitaliano* in ordinem redacto, simulationis larvam deposuit, in Catholicos furorē suum exacuit, Legatos, quos Hormisdas Papa, redintegrandæ pacis causa, in Orientem miserat, perjuriis & tergiversationibus elusit, nec ullo pacto adduci potuit, ut *Acacii* quondam Episcopi Constantinopolitani nomen e sacris Dyptichis expungeretur. Quapropter Anastasius sub Hormisdæ Papa multum perturbavit Ecclesiam, quam sub Symmacho Hormisdæ decessore diro Schismate dividerat, sicut observavimus in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesie sæculi, de quo Schismate etiam redibit sermo, dum de Synodo *Palmari*, in qua iudicata est causa Symmachii Papæ, agemus in Colloquio tertio in Historiam hujus sæculi sexti.

D. Fuitne tranquillior in Oriente status Ecclesie sub Anastasii Imperatoris successore?

M. Anno dxxviii. Anastasio Imperatore, isto de Cælo fulmine atque e vivis sublato,

successit *Justinus* olim ac boum custos, qui erga Fidem Catholicam optime affectus, statim Imperii sui initio Edictum promulgavit, quo iussit, ut omnes ab Anastasio decessore suo in exilium pulsati, revocarentur, & Synodus Chalcedonenis sacris Dyptichis infereretur. Hormisdas Papa Legatos ad Imperatorem Justinum misit, ut tandem aliquando Ecclesia Orientalis in communionem cum Romana rediret, nomina Episcoporum Hæreticorum, sed præcipue *Acacii* olim Episcopi Constantinopolitani, *Zenonis*, & *Anastasi* impiorum Imperatorum ex sacris tabulis omnium Ecclesiarum Orientalium eraderentur, ac tandem Chalcedonenis Synodus aliis tribus Ecumenicis Conciliis annumeraretur. Quæ omnia a Legatis Summi Pontificis feliciter, votisque omnium conspirantibus facta, & executioni mandata fuisse, pluribus ostendit Baronius. Hac ratione cessavit dissidium Ecclesiarum Orientalium cum Romana Ecclesia, quod annos triginta sex perduraverat, ex quo videlicet *Felix* Papa Tertius iusto Anathemate *Acacium* Patriarcham Constantinopolitanum percussit. *Theodovicus* Italiæ Rex Arianus ægre admodum tulit, quod *Justinus* religiosissimus Imperator Catholicis impense faveret, & Hæreticos Arianos, & Manichæos variis Edictis comprimeret. Quare Gothorum ille Rex coegit *Joannem* Papam, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim proficisci, ut Justinum Imperatorem induceret, ad restituendas Arianis Ecclesias, quas ipsis abstulerat. Sunt quidam Historici, qui asserunt, Justinum Augustum omnem *Joannis* Papæ concessisse petitionem, & propter sanguinem Romanorum reddidisse Hæreticis Arianis Ecclesias secundum voluntatem Regis Theodorici, ne videlicet Christiani, maxime Sacerdotes ad gladium mitterentur. Alii ex adverso post Baronium affirmant, *Joannem* Papam tempore suæ Legationis quascumque reperire potuit Ecclesias Arianis ereptas consecrasset Catholicis ab Imperatore Justino vendicatas; idque probant ex Epistola hujus Sancti Pontificis *Joannis ad omnes Italiæ Episcopos* scripta, in qua asserit, se, dum Constantinopoli esset, Ariatorum Ecclesias consecrasset, eosque adhortatur, ut in agro Dominico viriliter laborarent, idemque in Italia præsent. Verum, ut cordate fatear, ex hac *Joannis* Papæ Epistola nihil certi super hac re elici potest, quia eam supposititiam, & *Joanni* Papæ falso attributam esse ostendam in quarto Colloquio in Historiam istius sæculi. Hoc unum dumtaxat certum ac exploratum est *Joannem* Papam ex illa Legatione regressum; quasi demandatæ legationis prævaricationem a Theodorico Rege habitum fuisse & in vincula Ravennæ conjectum, ubi inedia, & squalore mortuus est Sanctus ille Pontifex anno dxxvi. (a). Paulo post mortem *Joannis* Papæ, Theodoricus Italiæ Rex interiit, eique in Regno Italiæ successit *Arbalaricus* nepos ejus ex *Amalafuntiba* filia, quam ex *Audesteda* Clodovæi Francorum Regis sorore susceperat. *Amalaricus* vero Visigothorum Rex, Theodorici ex *Theuderusa* filia nepos, ditiones in Hispania, & in Gallia postas acce-

accepit, moxque inter Athalaricum, & Amalaricum confobrinos Arianam sectantes Hæresim, conventum est, inter Alpes, & Rhodanum Ostrogothi, ultra vero fluvium regnarent Visigothi. Amalaricus Visigothorum Rex, Gallorum potentiam reformidans, Clotildem sororem Childberti Francorum Regis, cujus Regia Sedes Parisiis erat, in matrimonium duxit. At cum Clotildes propter suam Fidem Catholicam multas infidias ab Amalarico viro suo pateretur; Childbertus Francorum Rex anno DXXI. exercitum movit in Hispaniam, ut sororem suam Clotildem liberaret. Quod statim ac Amalaricus Visigothorum Rex accepit, conscensa navi fugit, & cum in quamdam Ecclesiam se recipere vellet, a quodam milite occisus est. Childbertus sororem suam secum adducere cupiebat, sed ea in via mortua est.

„ (a) Quod hic dicitur de Joanne primo Pontifice, affirmare visus est etiam S. Gregorius Turonensis lib. 1. de glor. Martyr. cap. IV. scribens, se ex fidelium relatione didicisse, Joannem Pontificem Arianorum Ecclesias in Catholicas dedicasse, eaque de causa subdole a rege Theodorico ad se venire invitatum, sub amicitiae specie in carcerem detrusum, ubi multa perpeffus decessit. Verum nec Turonensis ibi ex certa scientia id affirmavit, nec dicit eas Arianarum ecclesiarum dedicationes in Oriente potius quam in Occidente factas; cum vicissim in Oriente actum hoc epistolæ hic laudatæ auctor affirmet.

D. Quis in Imperio Orientis successit Justino? M. Postquam Justinus, qui in Imperio Orientis Anastasio successerat die IX. mensis Julii, anni DXVIII. imperasset annos novem, & dies viginti tres, mortuus est anno DXXVII. & Imperii sui successorem reliquit Justinianum e sorore nepotem. Fuit autem Justinianus Princeps domifortisque clarus, doctus, liberalibus disciplinis excultus, & in Theologia exercitatus. Leges omnes in unum corpus colligi jussit, unde effluxere celebrata illa volumina, *Codex* scilicet, *Pandectæ*, & *Institutiones*, quarum usus non solum in Civilibus, sed etiam in Judiciis Ecclesiasticis obtinet. Cum Gothis sæpissime pugnavit Justinianus, & plerumque feliciter per Duces suos *Belisarium*, *Alexandrum*, & *Narsesem*, atque post varios eventus, sublato tandem ultimo Gothorum Rege *Teja*, Italiam a Barbaris vindicavit. Vicit quoque per *Belisarium* Persas, necnon *Vandalos*, & *Africam* Romano restituit Imperio. S. *Sophiæ* Ecclesiam Constantinopoli ædificavit. Epistolam Encyclicam ad quinque Patriarchas scripsit, in qua doctrinam Origenis damnavit. Multa contra Hæreticos promulgavit Edicta, quibus Catholica Religioni consultum voluit. Ad *Severi* Sectatores, seu Hæreticos *Acephalos* Catholicæ Ecclesiæ reconciliandos, Collationem inter ipsos, & Catholicos anno DLII. vel, ut alii volunt, DLIII. Constantinopoli haberi voluit, quam integram Cardinalis *Baronius* in suis *Analibus* inseruit. Hæc & alia hujusmodi in exordio Imperii sui, in rem, & utilitatem Ecclesiæ

præstitit Justinianus Imperator. At dum *Theodore* uxoris suæ, *Eutychie* scæminæ, & aliorum ejusdem Hæresis fautorum perverfa consilia auscultare cœpit, perneciem gravem, & Schisma in Ecclesiam invexit, in summos Pontifices *Silverium*, & *Vigilium*, sicut in quarto Colloquio in Historiam hujus sæculi videbimus, impius & crudelis fuit, ac tandem *Eutychianorum*, & *Severianorum* Hæresibus sese irretivit. Telam istam ordiri cœpit *Theodorus* Cæsareæ Cappadocum Metropolitana, qui magna apud Justinianum gratia, & auctoritate pollens, ei persuasit, *Acephalos* ad subscribendum Synodo Calcedonensi, compendio adduci posse, si tria tantum, quibus offendebantur, corrigenda curaret; nempe si damnaretur *Theodorus* Episcopus Mopsuestiæ Nestorii Magister: Dein, si prohiberentur libri Theodoretæ contra XII. Capitula, seu Anathematismos Sancti Cyrilli Alexandrini: Demum, si rejiceretur Epistola *Ibæ* ad *Marim Persam*. His tribus proscriptis Capitulis, *Theodorus* Cæsareæ Metropolitana Justiniano pollicitus est *Acephalorum* unionem. Similiter *Theodora* Augusta, quæ palam *Acephalis* studebat, id ipsum quod suaserat *Theodorus* Cæsariensis Metropolitanus Principi marito suo inculcavit, sed eo consilio pessima mulier facinus moliebatur, ut ubi Calcedonensis Synodi correctio semel fieret, universa ejus collaberetur auctoritas, ejusque doctrina nullius ponderis evaderet. His consiliis delusus Justinianus Imperator, multos in Ecclesia excitavit tumultus, occasione trium istorum Capitulorum, quæ in quinta Synodo generali, ut postea dicemus, ejus jussu damnata gravissimis contentionibus inter Episcopos enatis initium dederunt, de quibus in sequentibus Colloquiis commodius agemus. Testatur *Nicephorus* lib. 17. Hist. Eccl. cap. 29. Imperatorem Justinianum in ultima ætate lapsum esse in Hæresim *Incorruptibilem*, sive *Aphthortocetaram*, qui Domini nostri Jesu Christi Corpus ex ipsa Divinitatis conjunctione incorruptum evasisse asserabant. Ex qua tamen Hæresi, paulo antequam moreretur, respicuisse probat *Card. Baronius*. Immo in Menais Græcorum ad diem II. mensis Aug. legitur: *Memorie pie recordationis Imperatoris Justiniani in Æde Apostolorum*. Mortuus est Justinianus Imper. die XIV. mensis Novembris anni DLXV. postquam imperasset annis XXXVIII. mensibus septem, & diebus tredecim. Ei in Imperio successit *Justinus* junior, ejus nepos, qui & *Cuopales* dicitur, quod esset Prætorii Præfectus. Princeps fuit justitiæ studiosus, mansuetus, & publicæ tranquillitatis amator. Per duodecim annos imperavit, & obiit anno DLXXVIII. Sub eo cœpit in Italia Græcorum Exarchatus, Sede Ravenna, duravitque ad usque circiter *Carolus Magnus*, ut suo clarius loco commonstrabimus. Justinio juniore successit *Tiberius Constantinus*, qui Imperium tenuit usque ad annum DLXXXII. quo placide Constantinopoli vita functus est. Denique *Tiberio* Constantino successit *Mauritius* e Cappadocia ortum ducens, qui tum belli, tum pacis artibus instructus strenuum Imperatorem segeffit. Persas vicit per Duces suos, *Philippum*, & *Germanum*. Cum *Chagano* Rege *Avorum*, qui Thraciam,

etiam, Mæsam, aliasque Orientalis Imperii regiones devastabat, sapius, variisque eventibus pugnavit. Verum a militibus, quod stipendia non acciperent, tumultuantibus Chalcedone trucidatus est cum tota sua familia anno DCII. Imperii sui anno ineunte vigesimo primo. Hi sunt Imperatores, qui in sexto Ecclesiæ sæculo Imperii Orientalis gubernacula tenuerunt, quorum seriem, ac gesta breviter hic descripsi, ut status Ecclesiæ in sexto sæculo sub illis Orientis Imperatoribus facilius innotescere posset.

D. Cum Occidentis Imperium in quinto sæculo fuerit, ut jam vidimus, omnino extinctum, ac permultæ factæ sint Regnorum mutationes, & exordia, Francorum videlicet, & Burgundionum in Galliis, Visigothorum in Hispania, Ostrogothorum in Italia, Anglorum in Britannica Insula, Vandalorum in Africa, vellem modo ut ostenderes, quisnam in illis regnis sexto sæculo fuerit status Ecclesiæ?

M. Ut votis tuis faciam satis, incipiam a Galliarum Regno, cujus Rex *Clodoveus*, post insignem de Alemannis reportatam victoriam, a S. Antistite *Remigio* apud Remos, sacro fonte ablutus est anno cccxcvi. & in Catholica Fide, quam semel suscepit, suoque regno intulit, tam constanter permansit, ut unus solus tum temporis in universa terra Princeps Catholicus esset. Nam Imperator *Anastasius*, ut jam observavimus, *Eutychie* Hæresi erat scædatus, *Theodoricus* Rex Ostrogothorum in Italia, Rex etiam Visigothorum *Alaricus*, qui Hispaniæ, & parti Galliæ dominabatur, Rex quoque Burgundionum *Gundabodus*, & Rex Vandalorum *Trafamundus* in Africa, Arianam omnes impietatem sectabantur; reliquarum vero gentium Reges Idolorum cultui erant addicti. *Clodoveus* Francorum Rex propagandæ Catholicæ Religionis, simulque Gallorum dominationis amplificandæ studio incensus, bello appetit anno DVII. *Alaricum* Visigothorum Regem, qui tum Gallicanis Provinciis, quæ a fluvio Ligeri ad usque *Pirenzos* montes protenduntur, dominabatur. Illius copiis penitus deletis, eundem etiam singulari certamine adortus est *Clodoveus*, eumque manu interemit in Campo *Vocladensi*, qui decimo ab Urbe *Pictaviensi* milliari distat. Sic desit Gothorum Imperium *Tolosanum*; nam *Amalaricus* Theodorici Regis Italiæ ex filia nepos, relictis Gallicanis Provinciis, quibus dominabatur, transiit in Hispaniam, ut eam sibi retineret, fassus, se Francis, & *Clodoveo* eorum Regi minime parem. Hujus tam celebris victoriæ a *Clodoveo* reportatæ fama commotus *Anastasius* Imperator Orientis, ejus amicitiam expetivit, eique per Legationem honorificam gratulatus est, & misso ad eum paludamento, regioque diademate, jura Consulatus, ac *Patriciam* dignitatem eidem contulit.

Sub idem tempus Catholica Fides alterum in Galliis suscepit incrementum, Burgundionum videlicet ab Ariana perfidia conversione. At enim *Sanctus Avitus* Viennensis Episcopus, qui multum, frustra tamen, adlaboraverat, ut *Gundabodum* Burgundionum Regem Arianum ad Fidem Catholicam adduceret, id quod non potuit in patre,

feliciter peregit in filio *Sigismundo*, quem, patre adhuc superstite, Arianam Sectam reliquisse, & Fidem Catholicam amplexum esse, liquet ex variis Epistolis Sancti *Aviti*, quarum vigesima nona ejus zelum in coercendis Hæreticis, & præservandis ab eorum fraudibus recens ad Fidem Catholicam conversis subditis laudibus extollit. Hic est ille *Sigismundus*, qui, ut in superiori Colloquio dicebamus, diu pœnitentiam egit ob necem, quam insignante posteriore uxore sua, intulit proprio filio innocenti *Sigerico*, quem ex priori uxore susceperat, & *Palmodiam* in celeberrimo olim *Agauenfi* Monasterio instituit, cuique *Sanctus Avitus* auctor fuit, ut Synodum *Epaunensem*, seu *Epaonensem* anno DXVII. convocaret ad resarciendam collapsam Ecclesiæ Sanctæ fidem, & disciplinam. Multis, iisque gravissimis calamitatibus Deus *Sigismundum* hac in vita afflixit, ut crimen, quod in filium suum innocentem perpetraverat, cumulatus expiaret. *Clodovius* enim *Clodovei* Francorum Regis filius *Sigismundum* acie superatum, cum uxore, & liberis captivum abduxit, & Burgundiæ Regno privavit; dumque illum cum universa prole in custodia detineret, *Gundemarus* frater *Sigismundi* occupatam a Francis Burgundicum Regnum, qua vi qua insidiis invasit. Quamobrem in furorem actus *Clodovius* *Sigismundum* cum uxore, & liberis in altum puteum projici jussit, frustra tam grande scelus dissuadente *Avito* Abbate sanctissimo. Relatus est *Sigismundus* in Sanctorum numerum, ejusque nomen inscribitur Martyrologiis *Rabani*, *Usuardi*, *Adonis*, & aliorum ad primum diem mensis *Maji*, quo in Actis *Bollandianis* vita ejus ex antiquis Codicibus descripta illustratur. *Sigismundi* ad Fidem Catholicam conversi exemplum secuti sunt liberi *Sigericus*, & filia, *Theodorico* Regi Francorum Austrasiarum postmodum nupta. Mortuo *Lutetia* Parisiorum *Clodoveo* Francorum Rege anno DXI. quatuor superstites ejus liberi, teste S. Gregorio Turonensi lib. 3. Hist. Francorum cap. 1. Patris Regnum sibi æqua lance diviserunt. Qui natu major erat *Theodoricus*, etsi ex concubina susceptus Regni sui Sedem apud *Metas* habuit. Reliqui tres legitimi, quos e *Clodoveo* *Clotildes* peperit, *Clodovius* quidem apud *Aurelianos*, *Clotarius* in *Suessionibus*, *Childbertus* Parisiis Regni sui Sedem fixerunt. Denique, anno DXXXIV. Burgundiæ Regnum, quod per quinque Galliarum Provincias dilatabatur, & in quo quatuordecim erant Episcopatus, fuit a Francis subactum, extinctum, & Franciæ adjectum, sicque duo ista regna in unum Galliarum regnum coaluerunt, in quo semper Catholica floruit Religio.

D. Catholica Fides in sexto sæculo fecitne alios in barbaris Nationibus progressus?

M. Magnum in sexto sæculo apud barbaras Nationes incrementum suscepit Catholica Religio. In primis, *Alamandarus* Saracenicarum Tribuum Princeps, abjecto Idolorum cultu, Christianam Religionem amplexus, ab Orthodoxis Synodo Chalcedonensi bene affectis, baptizatus est anno DXIII. & Hæreticos Severianos Episcopos a vero fidei sensu eum abducere machinantes mira arte coarguit.